Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 777
Quelle:
Copyright:

(Curculionis?) ſervuli exponit. Actibus V. definitur Ludus Autoris *Plautinum* os adfectantis, qui eſt *Leonard. Brunus* dictus *Aretinus*, ut docet Elenchus Codici praefixus, et firmant Editiones *in Monaſt. Sorten.* fide *Deburii Bibliogr. inſtructive, T. I. bell. Lett.* p. 412. a. 1478. f. *Lipſienſes* a. 1500. et 1514. 4. relatae a *Leichio Annal. typogr. Lipſ.* p. 77. et *Viennenſis* a. 1516. 4. indicata a me in *Hiſt.* vernac. *Typogr. Vien.* P. I. p. 147. ubi notavi Conatum hunc comicum juvenilem *Leonardi* jam a. 1444. vivis exemti ignotum manſiſſe *Geſnero, Fabricio, Zeno, Hambergero*, quibus nunc *Mazzuchellium* addo.

XII. *fol.* 129. rurſus ἀνεπιγράφως Dialogus inter *Laur. Vallam, Podium Bracciolinum* vulgo dictum *Poggium*, et *Guar. Guarinum*, qui eſt prior duorum a *Valla* in *Poggium* adverſarium ſcriptorum, et legitur in Edit. *Baſil.* Opp. *Laur. Vallae* 1540. p. 366. f. Incipit: *Audio pogium alteram in me compoſuiſſe inuectiuam* &c. et finit: *ſumat alios quoscunque e meis libris.* Guar. *Placet.* Laur. *Fiat.* Invectivae *Poggii* praeſto ſunt comparare volenti in Editt. ejus Opp. *Argent.* 1510. *Pariſ.* 1511. et 13. et *Baſil.* 1538. pauciores vero putem fore, qui *Poggios* ſe malint eſſe, quam *Vallas.*

XIII. *fol.* 141. Adlocutio quaedam Academica ante datam, ut vocant, *Licentiam*, quae incipit: *Cogitanti mihi animoque ſollicito reuoluenti, rector inſignis doctores eruditiſſimi ceterique mei* (magiſtri?) *literatiſſimi, quid cauſe foret, quod iuxta patrum noſtrorum gymnaſy uetus inſtitutum non licet quempiam gradu ſua pericia digno donare, niſi prima uirtutum ſuarum decantatione laudatus fuerit* &c. Omnia ſine die et conſule.

CCCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 39 XV. Folior. 39. 4. eleganter exaratus, praeviis *Capitum* 36. Rubricis hoc gaudet miniato Titulo: *Aurelij Auguſtini Liber inſignis ac deuotiſſimus Soliloquiorum animę ad deum feliciter incipit. De Ineffabili dulcedine Dei Capitulum I.* Nempe: *Agnoſcam te domine cognitor meus* &c. Ut *Opp. Aug.* edit. *Maur.* T. VI. *Append. col.* 85. Non enim niſi cento eſt ex *Auguſtini* et aliorum Scriptis contextus, ut habes ibi in *Admonit.* praefixa. Usque ad *fol.* 19. Exemplo noſtro adſperſae ſunt ab eadem manu notulae quaedam in commendationem dictorum, inter quas *Statii* verſus: *Mille modis miſeros homines mors una fatigat.*

CCCLV.

Codex chartaceus ital. Sec. R. 41 XV. Folior. 66. 4. nitide perſcriptus, rubro diſtinctus, Bibliothecaeque oblatus a. 1721. a F. *Thoma M. Alfano* O. P. de quo mentio ad *Caſſiodori Expoſitionem Pſalmor.* continet I. Verſionem Soliloquiorum *Auguſtino* perperam adtributorum hoc Titulo: *Inconmenczano li ſoliloquij de ſancto Augu-*